



16





48

MEDICATIO DUORUM ÆGRORUM,  
PALPITATIONE CORDIS,  
ET  
FEBRI EPHEMERA  
LABORANTIUM;

Q V A M.

DEO OPT. MAX. AUXILIANTE,  
SUB PRÆSIDIO  
VIRI CLARISSIMI

D. HENRICI REGII,

Reip. Ultraject. POLIATRI, Medicinæ  
Anatomes, & Botanices Professoris Ordinarii,  
ac Philosophi eximii,

*Publicæ disquisitioni exhibet*

STEPHANUS NIMETHI, Ungarus.

*Ad diem 3. Iulii, horâ locoque selitis.*



TRAJECTI AD RHENUM,  
Typis Gisberti à Zjll, & Theodori ab Ackerſdyck,  
c. l. o. c. l. i. i.



101  
*Illustriss. ac Celsissima Principissa,*

D. D<sup>na</sup>. SUSANNÆ LO-  
RANTFFI, Celsiff. & Sa-  
pientissimi quondam Princi-  
pis p. m. D. D. GEORGII  
RAKOCZI Senioris, Tran-  
sylvaniæ, & partium Regni  
Hungariæ D<sup>ni</sup>., & Sicularum  
Comitis &c. Viduæ Relictæ,  
Religionis Orthodoxæ addi-  
ctissimæ, Ecclesiarum Refor-  
matarum, & Scholarum, in-  
ter alias autem Illust. Scholæ  
Saros-Patakinæ necessitates  
benignè sublevanti,

*D<sup>na</sup> suæ Clementissima,*

Hoc exercitium Medicum

D. D. D.

STEPHANUS NIMETHI,

M E D I C A T I O J U V E N I S  
 PALPITATIONE CORDIS  
 L A B O R A N T I S.

## I.

**I**Uvenis vincti quinque annorum biliofus, dum æftivo tempore fe vehementiùs exercebat, incidit in vehementiffimum & inordinatum cordis, arteriarumquè motum, qui ipfum adeò torquebat, ut penè in fyncope incidere. Poftea ex levi excafcendentia, vel alio vehementiore animi motu, eodem affectu fæpiùs correptus fuit; & jam novum patitur paroxyfimum.

II. Afficiuntur in hoc ægro cor & arteriæ, quod ex vehemente & inordinato eorum motu, & fyncope in fequente, patet.

III. *Morbus*, qui ægrum torquet, eft intemperies biliofa, & acris fanguis, qui in corde, & arteriis vehementem & inordinatum motum dilatationis & detumefcentiæ efficiens, *Palpitatio cordis* vulgò appellari folet.

IV. *Procatartica* hujus morbi caufa eft ætas juvenilis, & intemperies biliofa noftri ægri. Hinc enim multi biliofi & acres in ipfius corpore fuerunt geniti humores, qui *antecedentem* huic morbo præbuerunt caufam. Pars verò eorum, primò vehementioribus illis exercitiis ab ægro noftro, tempore æftivo, factis, & deinde etiam vehementioribus animi pathematis, à reliquo fanguine feparata, & poftea ad cor delata, illudque vellicans, & effervefcentiam pravam ibi efficiens *continens* hujus morbi & fymptomatum eft caufa.

V. Ex vellicatione enim ifta, à biliofis & acris humoribus in corde facta, defertur ifte motus pravus per nervum fextæ conjugationis ad cerebrum, cerebrique fpiritus, quo pori cerebri ita aperiuntur, ut fpiritus, in cordis fibras vehementiùs inordinatiùsque fluentes, inordinatum vehementemque illum motum, qui palpitationis cordis nomine vulgò indigitatur, originẽ ducit.

A 2

Quia

741  
Quia autem per vehementem inordinatumque illum motum spiritus & utiles sanguinis partes valde dissipantur, sanguisque reliquus ad dilatandum ineptus evadit, hinc parum abfuit, quin in Syncope noster ager incideret.

VI. *Morbis* hic periculosissimus est, quia cor, omnium partium pars nobilissima, adeo graviter afficitur, ut lethalis Syncope inde sit metuenda.

VII. *Curatio* itaque diligentè est instituenda. Eaque in causa procatactica, antecedentis, & continentis, & intemperiei ablatione, consistet.

VIII. Primò itaque per triduum tali utatur medicamento,

*Rx.* syr. de succ. acetos. citri, de ribes ana. ℥j. aq. cichor. borrag. bugloss. ana. ℥iij. M. F. Julapium, quod sumat quotidie jejunus, per triduum.

Postea tali purgetur potione:

*Rx.* rhabar. select. ℥j. β. spic. ℥β. aq. cichor. ℥iij. post levem ebullitionem infundantur per noctem.

Colat. add. diaprun. ℥iij. syr. ros. sol. ℥j. M. F. Potio.

Evacuato corpore matutino tempore quotidie utatur tali electuario, tribus horis ante pastum, magnitudine castaneæ majoris.

*Rx.* conserv. ros. violar. buglos. ana. ℥β. melis. ℥iij.

spec. diarrhod. abbat. diatrium sant. diamargar.

frig. ana. ℥ij. ossis. de cord. cervi, sem. citri ana. ℥j. corall. rubr. ℥β. cum syr. de limon. q. s. F. Electuarium.

Et hoc epithema cordi manè, & vesperi admoveatur tepidum:

*Rx.* corall. rubr. & alb. sant. omnium, spec. diamargar. frig.

ana. ℥j. croci ℥j. camphor. gr. iij.

aq. ros. ℥β. borrag. bugloss. ana. ℥ij.

acet. vin. opt. parum. M. F. Epithema.

Post usum epithematis talem sacculum cordis regioni admoveat:

℥. flor.

*Rx. flor. ros. rubr. exsiccat., buglos. borrag. siccor. ana ℥j. fol. melis. exsiccat. ℥j. santal. omnium. ana ℥j. β. ofsis de cord. cervi pulv. coral. rubr. pulv. ana ℥j. behen alb. & rubr. ana ℥β. omnia in pulverem redacta includantur sacco serico multis locis intersuendo, qui aq. ros. irroratus, & in olla munda calefactus applicetur regioni cordis.*

IX. In victus ratione aer sit temperatus, cibus eupeptus, elixus potius quam assus, succo limonum conditus. Potus sit cerevisia, & vinum mediocre. Fugiat vehementiorem corporis motum, & vehementiora animi pathemata. Somnus sit mediocris. Alvus respondeat naturam vel arte.

M E D I C A T I O V I R I,  
 E P H E M E R A F E B R I  
 L A B O R A N T I S.

## I.

**V**ir quadraginta annorum, cum autumnali tempore in aere ventoso, frigido, & horrido, versatus esset, frigore, totius corporis musculos & cutim invadente, correptus est; quem, cum ad ignem luculentum esset calefactus, insecutus est pulsus paulo velocior, & iusto major, æqualis tamen, citra ullam sitim: quatuor horis post æger mitius se habere cepit, & quodam quasi madore perfusus est. Tota deinde nocte bene dormivit, & nonnihil sudavit. Mane omni alteratione febrili se quidem liberatum, sed tamen valde debilitatum, sensit.

II. Affectum fuit in hoc ægro totum corpus, quod ex frigore & calore insequente, & totum corpus occupante: item cor, quod ex pulsu iusto majore & celeriore est manifestum.

III. Morbus, quem passus est, fuit intemperies quædam prava massæ sanguinis, quæ secundum partes spirituosas malignam, & iusto fervi-

fervidiorem incalescentiam post totius corporis refrigerationem concipiens, & per unum tantum diem durans, & deinde desinens, *Febris Ephemera* appellari solet.

IV. *Causa procatartica* hujus morbi fuit aer frigidus ventosus, & horridus, in quo noster æger, autumnali tempore versatus, incurrit pororum totius corporis constrictionem, quâ transpiratio solita impedita, & fulgines excernendæ in corpore retentæ, *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Spirituosiores verò sanguinis partes inde malignam, & primò minorem, ac deinde justo vehementiorem, & celeriore in corde effervescentiam contrahentes, ac per totum corpus deinde cum reliquo sanguine diffusæ, *continentem* hujus morbi constituerunt causam.

V. Inde enim, cum partes illæ fuliginosæ cum reliquo sanguine nondum satis benè essent mixtæ, ortum fuit primò frigus, musculos totius corporis invadens. Fuliginibus verò illis exquistiùs cum reliquo sanguine mixtis, orta fuit vehementior, & celerior sanguinis in corde effervescentia; atque hinc pulsus evasit vehementior, & celerior: ac ob æquales sanguinis cor ingredientis partes, æqualemque spirituum & ordinatum in cordis fibras influxum, etiam æqualis ac ordinatus. Calor autem ille quia non tantus erat, ut fauces & œsophagum posset exsiccare, hinc nulla ægrum torfit sitis. Post horas 4, quia magna pars fervidiorum spirituum fuit dissipata, & cum humoribus nonnullis in cutim propulsa, hinc eger tunc mitiùs habere cœpit, & madore quodam levi fuit perfusus, ac sequente nocte benè dormivit. Et quia inter dormiendum reliqua materia morbifica in sudores fuit conversa, & cum multis utilibus spiritibus fuit discussa, hinc eger omni feбри manè quidem fuit liberatus, verum magnoperè se debilitatum sensit.

Debilitas à feбри in ægro nostro reliqua metum facit recidivæ, vel ne in tertianam, vel quartanam incidat.

VI. Itaque curandum ut reliquæ si quæ materiæ morbificæ supersint, evacuentur, & vires instaurentur.

VII. Mox itaque purgetur æger tali purgante medicamento,  
jejuno



jejuno ventriculo exhibito :

*Rx. elect. diapr. ℥j. dissol. in aq. card. bened. q. s.*

*M. F. Haustus.*

Vesperi, post purgationem factam, excitetur sudor tali sudorifero calidè sumendo, & corpus benè tegendo:

*℥. extract. card. ben. ℥j. lapid. bezoar. gr. iiij.*

*aq. card. ben. ℥iiij. M. F. Haustus.*

Dum his utitur, libindè sumat quantitatem castaneæ majoris de hoc condito:

*℥. Conser. ros. ℥jβ. rob. de rib. ℥β.*

*spec. diarrhod. abbat. ℥j. diamargar.*

*frig. ℥β. cum syr. de limon. q. s. F. Conditum*

VIII. In victus ratione aër sit temperatus, cibus euchymus, & eupeptus. Potus cerevisia, & vinum tenue. Motus moderatus, ut & somnus.

## Corollaria Respondentis.

- I. **U**Niversa rerum naturalium materia, quæ in sola extensione consistit non est æterna, sed est ab æterno. Et quoniam materia seipsam movere non potest teste Arist. XII. Metaph. c. 6. concludo motum quoque non esse æternum ( utpote materia accidens, aut modum ) sed varium in tempore universæ rerum materia esse à Deo concreatum: alias enim tota massa esset unum quid continuum.
- II. Motus nullus datur novus.
- III. Corpora sublunaria suos habent poros, ut inter dura adamas, inter fluida aër, qui pori ( quoniam vacuum nullum datur ) repleti sunt tenuissimo quodam corpore, quod appellari potest subtilissima materia, aut, si mavis, æther.
- IV. Corpora sensibilia non ex atomis a Democrito fictis, sed ex particulis corporeis insensibilibus & sectilibus constant.
- V. Spiritus naturales, seu vegetativi, ad partes impelluntur à corde cum sanguine arterioso, animales verò distribuuntur è cerebro per nervos in corpus.

VI. Me-

- VI. *Medicina est ars.*
- VII. *Apoplexia oriri potest ex obstructione plexus choroidis.*
- VIII. *In apoplexia venæsectio convenit.*
- IX. *Epilepsia oriri potest à vapore quodam peculiaritèr corrupto, qui, delatus per sanguinis circulationem in cerebrum per arterias carotides, miscetur cum spiritibus animalibus, ex quâ mixturâ malignâ, tam vehementissimâ oritur spirituum animalium effervescentia, ut oriatur totius corporis inordinata convulsio, cum omnium actionum animalium læsione conjuncta.*
- X. *Aqua è floribus tiliæ destillata in hoc affectu præstans esse judicatur.*
- XI. *In variolis venæsectio, si non ad sit plethora, mortem minatur.*
- XII. *In medicamentis variolas expellentibus acida admiscere non est consultum.*
- XIII. *In locis calidioribus, assuetis uti potu modicè frigido videtur esse innoxium; frigidissimo tamen quocunque generoso uti, cane pejus & angue.*
- XIV. *Senes arthritici hydromelite commodè uti possunt.*
- XV. *Nulla causa est, cur lac non ex sanguine, sed ex chylo, proxime fieri dicamus.*
- XVI. *Chylus ventriculi & intestinorum fertur, ad cor, non tantum per venas lacteas, mediantibus ductibus chyliferis nuper inventis sese in venas subclavias insinuantes; sed etiam per venas gastricas & mesaraicas aliasque ad hepar; unde is in venam cavam, & inde in cor ascendit.*

F I N I S.


00 A 6396

ULB Halle 3  
002 928 167



*St*





avato in urhetram cathetere, simul &  
 damque materiam à collo vesicæ repel-  
 æ deprehendatur calculus vel materia  
 struens meatum, ut nullis præfidiis re-  
 n propinquus sit perditioni, neque ullo  
 ri possit: vel etiam forte adsit inflam-  
 m ferre non possit; tum collum vesicæ,  
 vâ scissurâ, secundum longitudinem, est  
 e, ut urina egrediatur, vulneri impo-  
 dum urina, per cannulam illam vulne-  
 ernitur, medicamenta emollientia circa  
 um ac

MEDICATIO DUORUM ÆGRORUM,  
 PALPITATIONE CORDIS,  
 ET  
 FEBRI EPHEMERA  
 LABORANTIUM;

Q V A M.  
 DEO OPT. MAX. AUXILIANTE,  
 SUB PRÆSIDIO  
 VIRI CLARISSIMI  
 D. HENRICI REGII,  
 Reip. Ultraject. POLIATRI, Medicinæ  
 Anatomes, & Botanices Professoris Ordinarii,  
 ac Philosophi eximii,  
*Publicæ disquisitioni exhibet*  
 STEPHANUS NIMETHI, Ungarus.  
*Ad diem 3. Iulii, horâ locoque felitis.*



TRAJECTI AD RHENUM,  
 Typis Gisberti à Zjll, & Theodori ab Ackersdyck,  
 cl. 15. c. LII.

